

universalis ecclesiae multis perturbationum fluctibus concussae et pene quasi quodam nau-
 fragio periclitatae onus et regimen suscipere sim coactus, occultum vobis et inauditum esse
 non credimus. Testis enim mihi est conscientia mea, quam imparem me tanto ponderi iudi-
 caverim et quanta sollicitudine nomen apostolicae dignitatis evitare concupiverim. Sed
 5 quoniam via hominis non in manu eius, sed illius est dispositione, a quo gressus hominum
 diriguntur, impossibile mihi fuit, contra divinam voluntatem concepta vota defendere. Unde
 mihi sollicite vigilandum atque pensandum est, qualiter ea, quae ad profectum ecclesiasticae
 religionis et salutem dominici gregis attinent, adiuvante deo annunciare et fideliter admini-
 strare valeam, urgente me prae omnibus tum eo timore, ne susceptae me apud supernum
 10 iudicem negligentia dispensationis accuset, tum debito amore apostolorum principis, qui me
 ab infantia mea sub alis suis singulari quadam pietate nutrit et in gremio suae clementiae
 fovit. Verum inter ceteras curarum anxietates ea nos maxime sollicitudo coartat, quod inter
 vos et Henricum regem vestrum videlicet dominum tantam discordiam et tam inimica studia
 exhorta esse cognovimus, ut exinde multa homicidia, incendia, depraedationes ecclesiarum
 15 et pauperum ac miserabilem patriae vastitatem fieri audiamus. Qua de re regi misimus
 exhortantes et ex parte apostolorum Petri et Pauli eum admonentes, ut interim sese ab
 armis et omni bellorum infestatione contineat, donec tales ad eum ab apostolica sede
 nuncios dirigamus, qui tantae dissensionis causas et diligenter inquirere et annuente deo
 ad pacem et concordiam aequa valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exo-
 20 ratos et apostolica auctoritate commonitos esse volumus, ut ex vestra parte omni motione
 sopita easdem pacis inducias observetis nec aliqua occasione nobis cum dei adiutorio ad-
 struendae pacis impedimentum opponatis. Cum etenim, ut scitis, nobis mentiri, sacrilegium,
 deserere iustitiam, animae sit naufragium, neminem vestrum dubitare volumus, quin super
 hac re veritate discussa, quicquid aequum videbitur, providente deo decernere et stabili
 25 pactione studeamus efficere et quaecunque partem iniurias et conculcatae iustitiae violen-
 tiam pati cognoverimus, illi procul dubio, omni timore et respectu personalis gratiae
 posthabito favorem et apostolicae auctoritatis praesidia conferremus. Data Romae XIII. kal.
 ianuarii, indictione XII.

144.

30 *Markgraf Ekbert nimmt die Aebtissin von Gandersheim in seinen Schutz.*

Braunschweig, 1074 Juni 10.

Gedr.: Harenberg, Hist. Gandersheim. 1379.

Ann.: Vergl. Einl. 95 Ann. 65. S. A. 176 Ann. 65.

Echbert marchio comes de Brunescvic recognosco per presentes, quod ab Adel-
 35 heyde abbatissa cenobii Gandereshem in pheodo teneam curtem Ghyfhorn et castrum
 Wolferbotle cum omnibus iuribus et appertinenciis ac advocatiam in Erch et Tenestede.
 Promitto igitur et spondeo me abbatissam predictam et ecclesiam sanctorum Anastatii et
 Innocentii pro posse defensurum et ab omnibus improborum invasionibus vindicaturum.

Data in Brunescvic III. id. iunii anno incarnationis domini MLXXIII.